



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae, Contra Malitiam Originalis Infectionis Peccati

Alva y Astorga, Pedro de

Lovanij, 1663

Y.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13965

rum, cum ad annum 1494. contra Joannem Trithemium Abbatem Spanheimensem acrem habuisset controversiam circa puritatem Immaculate Conceptionis Virginis MARIE, tandem veritate convictus post biennium edito quodam Opusculo opinionem suam abjuravit. De quo vide Henricum Spondanum, ad annum 1594. num. 4. Habemus retractionem ipsius, impress. ac etiam extat Lovanii in hoc Fratrum Minorum Conventu. Vide Radios Solis Veritatis, & Manuscript. antiquum apud nos.

WIGULEUS Hunt à Sucellos Jurisconsultus, ac supremi Bajorum Senatûs Præses, in libro de Metropoli Salisburgensi, tom. 3. de festo Conceptionis Sanctæ MARIE Caput unum, seu Rescriptum Adami Dei-patientiæ, fol. 45. Impr. Monachij 1620. in fol.

WILHELMUS Damasus Lindanus, Episc. Dor-drænenus & Gandibensis, in Panoplia Evangelica; sive de Verbo Dei Evangelico, &c. libro. 3. cap. 19. folio. 102. inquit: Ad hæc, si Deus ipse de Zacharia & Elisabeth (ut alios innumeros silentio prætermittam) pronunciat per D. Lucam fuisse justos ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela; quid obsecro æquum est de Petro & Paulo sentiamus? Ut nihil de Sacrosancta Virgine Matre MARIA dicamus, quam & nos cum Divo Augustino de Natura & Gratia, cap. 36. cum de peccatis agitur, una cum Filio Domino nostro IESU CHRISTO ubique volumus exceptam, &c. Lib. impress. Parisijs 1564. in 8. & Colonia Agrippinæ 1575. in fol.

Item, in Missa Apostolica, sive: Divinum Sacrificium S. Apostoli Petri, vocat Dei Genitricem Virginem MARIAM Immaculatam. Lib. impress. Antuerpiæ 1589. in 8. Vide verb. Petrus Apostolus.

WILHELMUS Monachus Affligemensis, in lib. in Cantica Canticorum de Cœlesti Sponso super benignissimo Domino nostro Jesu CHRISTO, & ejus singulari Sponfa Virgine gloriosissima MARIA Elucidatione; in prologo, sic inquit: Hæc enim ab æterno præelecta, a Patribus cælitus repromissa, mysticis miraculis præfigurata, oraculis Prophetice prænuntiata, de femine fidelis Abrahæ, regali progenie, generosa David stirpe exorta, in utero ab omni culpa originalis contagio præservata ac sanctificata, præ cunctis supernis charismatibus, omnique sanctitatis benedictione adimpleta, &c. Et ad illa verba: Sicut lilium inter spinas; sic inquit: Porro tu unica Dei dilectissima Virgo totius superbeatissimæ Trinitatis media & amica ac sociâ, ab omni culpa prorsus es immunis, in qua fomes plene est extinctus &c. Et infra, ad illa verba: Ferculum fecit sibi, &c. ait: Christus verus Rex pacificus, secundum quod Deus fecit corpus & animam super benedictæ Virginis; corpus ejus fecit per causas secundas formando, cujus & materiam in exordio produxit ex nihilo; animam quoque ejus felicissimam per se immediatè creando; fecit spiritualiter hoc ferculum, sanctificando & decorando illud per gratiam copiosam, &c. Hæc igitur sola omnium mortalium concepta est, lege quidem propagationis, sed sine originali peccato, que insuper sanctificata est, & gratiâ repleta in utero, antequam nata, &c. Et ad illa verba: Tota pulchra es amica mea; torum caput explicat de B. V. immunitate, de qua etiam passim agit alibi. Est liber MS. apud nos in 8. & Doctor antiquus.

WIVINA Virgo, Fundatrix Monasterij Majoris Bigardiæ in Brabantia, in Breviario suo, quod

asservatur in eodem Monasterio tanquam reliquia singularis, eod quod eo uteretur. eadem Sancta; hæc habet rubricis Litteris in Kalendario: *Conceptio B. MARIE Virginis.* Extat manusc. in membranâ antiquissimo charactere. Floruit hæc Sancta anno 1133. secundum Molanum, & alios.

WLADISLAUS quartus Poloniae Rex, instituit Ordinem Militarem sub titulo *Immaculate Conceptionis Virginis MARIE*; & una ex institutionis clausula sic se habet: Dependebit à torque Crux rubea, in cujus medio conspicietur imago Virginis conceptæ, candida, dæmonem pedibus conculeans, his verbis suppositis: *Vicisti, Vince*, hoc in signo vere nostro. Utantur hoc insigni Equites & ipse Princeps in omnibus diebus, qui sacratissimæ cælorum Reginæ patronæ nostræ sunt dicati; sed potissimum die Conceptionis ipsius, quem particulariter observabunt, &c. Vide alia in Hippol. Mar. in Reg. Mar. fol. 321.

WOLFANGUS Guilielmus, Comes Palatinus Rheni, scripsit Epistolam ad Urbanum VIII. Pont. Maxim. pro diffinitione *mysterij Purissimæ Conceptionis Deiparæ Virginis MARIE*, datam Bruxellæ, kalendis Julij, anno 1624. Incipit: *Est non latet.* Hippolytus Marraccius in Principibus Marianis, & in Biblioth. Mar. part. 2.

WOLFGANG Kilian. civis Augustanus, in lib. *Serenissimorum Austriae Ducum*, in prima pagina, inquit: *Anno sine labe partus 1623* volens dicere, anno V. MARIE partus, &c. Extat impress. in fol.

WOLFGANGUS Soccius, Sacre Theologiae Doctor & Juris Licentiat, atque S. Stephani Canonicus, qui dicitur vixisse circa annum 1493. sermone 30. sic inquit: *Est autem triplex v. à quo fuit liberata Virgo sancta. A v. culpa originalis, & à v. culpa venialis, & à v. mortalis.* An iste sit distinctus à Soccio Cisterciensi, quem citant Adversarij pro sua opinione, nescio: de eo in Radijs Solis Veritatis. Vide Peruzzinum, pag. 94 & Joannem Ludovicum, tom. 4. pag. 59.

X.

XEREZ de la Frontera, Civitas in Hispania; habet Capellam, & insignem Confraternitatem *Immaculate Conceptionis Beatæ Virginis MARIE*, à tempore immemorabili, quæ civitatis est Patrona: Vide supra col. 1020. verb. Martinus de Roa.

Y.

YÑIGUS de Lodosa Navarra, Societatis Jesu, in libro: *Señal de Predestinados, la devocion con la Virgen nuestra Señora*, cap. 6. fol. 91. sub hoc titulo: *Fue concebida MARIA sin pecado original*, para que los hombres cobrasen esperanza de salvarse por medio suyo, &c. Impress. Pampilonæ 1658. in 8.

YVO Antonius Turpin, Ordinis Minorum, in *Cosmographia Seraphica, de Conceptione Virginis MARIE absq. peccato originali*, Polum unum, seu Sphæram, fol. 300. Lib. impress. Romæ 1651. in 4.

YVO Carnotensis Episcopus, in sermone de Nativitate Domini, loquens de Beata Virgine, sic inquit: *Quomodo autem Matrem carnis suæ sanctificaverit, deinceps audiamus: ac inde latetur Catholicus, immundus confutetur hæreticus; omnem quippe nævum, tam originalis, quam actualis culpa, in ea dele-*

ea delevit; sicque carnem de carne ejus sumens, eandem in divinam munditiam transformavit: etenim sic ait Scriptura, &c. Extat in Lib. Divinorum Officiorum ac Catholicae Ecclesiae Ministrorum. Impress. Coloniae 1568. folio 504. & Rontze 1591. folio 440.

YVO Parisinus, Ordinis S. Francisci Gallus, in Lib. Digressum sapientiae in qua habetur scientiarum omnium divinarum atque humanarum rerum nexus & ad prima principia reductio: *Quod Conceptio Virginis MARIAE fuit Immaculata, quia est privilegium Matri & Filio concessum, &c.* In Indice & in medio, pag. 1163. Lib. impress. Parisius 1648. in fol. mag.

Z.

ZACHARIAS Boverius, Ordinis Minorum Saluthiensis Italus, in tomo 2. Ann. lium ad ann. 1598. folio 613. De oraculo facto fratri Francisco à Paterno, qui è caelo vocem personantem percepit dicentem: *Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore Beatæ Virginis, de cujus Conceptione gaudent Angeli & collaudant Filium Dei.* Imp. Lugduni 1639. in folio.

Item, in 1. Tomo in Dedicatoria ad Virginem inquit: *Clarissimis sanctorum splendoribus orta, & Concepta immaculato utriusque Natalis candore, admirabilis, &c.*

ZACHARIAS Chrysolopolitanus Episcopus, ad illa verba Gratia plena, inquit: *Gratia plena erat, in visorum exclusione, veritatis cognitione, virtutis amore, quæ prima inter sceminas Virginitatis gloriosum munus obtulit Deo. Dominus tecum in mente, Dominus tecum in utero, dominus tecum in auxilio, cuius Templum sanctum est &c.* Ad Cap. 1. Lucae fol. 30. Lib. imp. 1531. in fol.

Item, in Sermonem de Assumptione, qui extat, ad finem Evangeliorum, inquit: *Dignum erat, ut Angelica puritas illi subderetur in caelis, cui tota se insuderat divina puritas in terris, dignum erat ut amplius Matrem suam honoraret, quam ministros, ipse qui dixerat: Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram.*

ZACHARIAS Ferrerius, Vicentinus Pontifex Gardien. Italus asserit, *Quod Beata Virgo MARIA procul absuit ab Eva maledicta noxa, in Hymno pro diebus festis Beatæ Virginis folio 23. Lib. Hymnorum Ecclesiasticorum. Romæ: 1515. in 4.*

ZACHARIAS Gardien. Episcopus, jussu Summi Pontificis Leonis X. edidit pulcherrimos Hymnos in laudem & honorem Immaculatae Conceptionis Virginis MARIAE, quos ipse approbavit Pontifex. Ita Hippolytus Marraccius in Pont. Marian. fol. 174. Nescio an sit diversus à præcedenti.

ZACHARIAS Lipeloo, Ordinis Carthusiani Germanus, agit de Solemnitate Conceptionis gloriose Virg. MARIAE, ex R. P. Petro Canisio, Societatis Jesu: & quomodo ea Festivitas in Anglia primum, anno Domini 1070. agi cepta est occasione cupidam Revelationis Elimo, vel Helpino Anglo Abbati, mari tempestate periclitanti exhibitæ & subsequenter miraculi testimonio probatæ. Postea vero eandem celebratam recepit Ecclesia Lugdunensis, & postremo accessit Romanae Ecclesiae assensus atque Decretum: novissimèque SS. Concilium Tridentinum, sess. 5. ius V. Romanus Pontifex eam servandam esse firmavit in Tom. 4.

de Vitis Sanctorum, ad diem 8. Decembris, fol. 703. juxta Legendam unam Impress. Coloniae 1616. in 8. sed in impressione Brixien. anni 601. titulus est sub alia dispositione.

ZACHARIAS N. Canonista & Interpres Pannonitani Abbatis, in Additionibus, titul. de Ferris, Cap. Conquestus, Tom. 3. folio 143. col. 3. num. 3. sic inquit: *Sed de Conceptione, &c.* Diversa est inter modernos Doctores de hac materia opinatio; licet apud Antiquos esset communis sententia Beatam Virginem in originali Conceptam; eò quod in contrarium nulla esset sacra Scriptura, & auctoritas Canonica expressa, imò secus legere, ut Rom. 5. Omnes in Adam peccaverunt: in quo vide diffutibus Doctores Theologos, in 3. Dist. 3. Solius autem Scoti doctrina fuit, quæ diversam postmodum causavit opinionem: ad quod accessit Revelatio facta cuidam Anselmo Abbati, quod scilicet absque originali culpa indistinctè esset concepta; quod etiam approbavit Basileense Concilium, Sess. 36. quamvis illud Concilium non fuerit universaliter ab Eccle. acceptatum. Unde ex Ordinatione Sixti Papæ IV. permittum est alteram dictarum Opinionum sustinere: & excommunicat ibi asserentes hæresim, alteram ipsarum tenere. Vide tamen D. Thomam, &c. Quare autem Ecclesia celebrari permittat Festum ipsum Conceptionis, vide eundem Doctorem, in 3. quæst. 27. art. 2. adn. 3. & Quod lib. 6. art. 6. Et licet dicit Abbas hic quod intellexerit contrarium approbari ab Ecclesia, dico quod nullibi hoc apparet, nisi in dicto Concilio Basileensi, quod tamen, ut dixi, universaliter ab Ecclesia non est acceptatum; & tamen Beatissima Virgo omni laude dignissima, utpote Hortus conclusus, Fons signatus, Cant. 4. quæ juxta Hilarium: Angelos vincit puritate, & Sanctos omnes superat pietate, &c. Hæc supradictus Auctor, in quibus videtur in hac materia indecise loqui: sed velit nolit, pro nobis debet esse, & est, siquidem exponit Auctorem qui aperte nostram sequutus fuit sententiam. Vide Nicolaum Tudechis.

ZACHARIAS Pasqualigius, Clericus Regularis Veronensis Italus, in libro de Sacra & Speculativa Doctrina, disput. 27. de Peccato originali, sect. 5. folio 97. in Tom. 2. &c. asserit. *Quod Beata Virgo ex speciali privilegio fuit preservata à peccato originali.* Impress. Venetijs 1650. in fol. Item, *Quod Beata Virgo contraxit debitum incurrendi peccatum originale?* Ibidem Conclus. 3. num. 32. Item, quomodo intelligendum sit, *Quod Virgo MARIA in primo instanti suæ Conceptionis habuit gratiam, vel justitiam originalem?* ibidem Disput. 1. sect. 6. num. 47. Item, *quomodo Virgo MARIA prædestinata fuerit & preservata ante prævisionem peccati originalis, &c.* Tom. 1. Disput. 42. sect. 1. num. 52.

ZENO Veronensis Episcopus ac Sanctus, Sermon. 2. de Nativitate Christi, qui incipit: *Insuspiciabilis, inquit: Non Mater ejus tanti partus pondere exhausta toris pallens jacuit resoluta visceribus. Non Filius Maris aut suus est illis sordibus delibutus. Neque enim revera aliquid circa se habere posset immandum, qui humani generis peccata, sordes & maculas venerat mundaturus, &c.* Extat Sermon. Tom. 3. Bibliot. V. V. P. P. fol. 111. colum. 1.

ZID Diaz, Doctor Hispanus, in Repertorio, Litt. C. *An Festum Conceptionis Beatæ Virginis sit celebrandum?* Extat manus. in Biblioth. Collegij Universitatis Complutensis, in folio magno.

B b b b

APPEN-